Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2497

Quelle:
Copyright:

ratum usque ad annum MCCCC-LXXV. et *Leonardum de Manſuetis* Magiſtrum gen. XXXII. protenditur, cumque ibi, ubi illius Exemplaria ceſſant, ſtatim *Humberti* laudes his verbis incipiant: *Hic vir dei cunctis aſpicientibus fuit generoſus et Romane Curie adeo acceptus et carus vt eum plures Cardinales in ſummum Pontificem elegerint* &c. quid vetat dicere, *Gerardum de Fracheto* Chronicon ſaltem verſus annum ſuum emortualem 1271. perduxiſſe, continuaſſe vero deinceps alios? Sed ut *Quetifo*, quod ait p. 147. contendendi non fuit animus, ita nec mihi eſt. Illud noto: Chronicon noſtrum ab anno memorato MCCCCLXXV. diverſis manibus, et quidem, ut videtur, in *Conventu Ulmenſi* productum fuiſſe usque in annum MCCCCXCVI. nec adferri pene quidquam aliud, quam Capitula Ordinis celebrata, et Moderatorum electiones, inter quos frequens eſt M. *Johannes Sprenger* autor ille famoſi *Maleficarum Mallei*. Indicatur etiam duplex iter in terram ſanctam F. *Felicis Fabri* 1480. et 1483. qui nomen ſuum tribus *F. F. F.* prodere amabat, ut habes in *Schellh. Amoenit. lit.* T. III. p. 102. cujusque *Hodoeporica* ſuperſunt. Ad an. 1491. notatur: *ipſa die Auguſtini epiſcopi intravit Vlmam Sereniſſ. rex romanorum Maximilianus et fuit rumor magnus de gwerris. Item ipſa die Natiuitatis beatiſſ. virginis marie Sereniſſimus dominus rex Audiuit officium miſſe in choro conuentus noſtri Quod quidem cantauit in pontificalibus Reverendus in chriſto pater et dominus Mathias epiſcopus Seckofienſis. Dictus Pfaff Schitt* (Scheit, Schait ✠ 1505.) *Reſonabant autem organa et cantores domini regis omniaque cum ſplendore permagnifico agebantur.* Ultimus chronographus ad an. 1496. ſic finit: *Preerat tunc communitati Vlmenſi Magiſtrique ciuium officio fungebatur prudens prouidus facundiſſimusque Dominus Johannes Echinger Actu conuentus vlmenſis tutor qui adeo fideliter ac eleganter apud dominos de Conſolatu negocia conuentus promovit, ut eorum mandato eorum impenſis pene totus conuentus renouaretur. Notabilemque pro Capituli ſubſidio elemoſinam largirentur. Quod eciam prelati et monaſteria vtriusque ſexus, Ac communitates viciniores Villanique corde bono et animo volenti liberaliſſime fecerunt. Reddat illis omnipotens centuplum in preſenti et vitam eternam Amen.*

DCLVI.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. 831
Folior. 202. 8. currente calamo ſcriptus ex integro ad Ordinem *Fratrum Minorum* pertinet, unde ſeriem in eo Contentorum indicare ſuffecerit. Eſt vero haec. *Fol.* 1. Formulae quaedam Abſolutionis a Peccatis. *Fol.* 3. Breve Chronicon Ordinis cum nominibus Provinciarum, et Miniſtrorum Generalium usque ad tempus Concilii I. *Lugdun. Fol.* 13. Conſtitutio *Benedicti* XII. P. R. *Redemptor noſter factor celorum* &c. a. 1336.

Fol.